



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

Art. I. Quid sit Calamus Architectonicus. Et quod ejus munus ad Fabricam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

Christi exemplum docet, quod est Regula, Norma, Libella, Amuffis omnium actionum Christianarum.



## SERMO VI.

### CALAMVS

#### *Architecti Christiani*

#### MODVS ET MEDIOCRITAS.

#### ARTICVLVS I.

*Quid sit Calamus Architectonicus. Et quod ejus munus ad Fabricam.*

**I**N Divinis litteris, quando Architectus effigitur, vel uno, vel duplici instrumento lignis representari solet, Funiculo, & Calamo arundinea, seu Calamo. Cùm Ezechieli cap. XL. offerretur Templum & inspiciendum, & singulorum partium mensuræ ac totius fabricæ symmetria contemplanda, primò dedit se videndum Vir, & funiculus in manu ejus, & Calamus mensuræ in manu ejus, ut inquit Sacer historicus noster. LXX. vertunt, *In manu ejus erat funiculus cementariorum, & Calamus, mensura.* Theodoretus habet, *Calamus & Funiculus ad adificandi usum confectum.* S. Hieronymus autem, *Funiculus erat lineus, sive cementariorum, in manu ejus;* de quo & in Zacharia capite secundo scribitur

scriptum est, quod funiculum habuerit geometricum, ut latitudinem, & longitudinem urbis metiretur. In Novo Testamento, Ioanni Apostolo, Apocalyp. xi. cum mandaretur, ut tanquam Architecturæ utriusque peritus, metiretur Templum DEI, & Altare, & adorantes in ea, datus est Calamus similis Virgæ, dictumque, *Surge & metire Templum DEI.* Vsum autem tum Calami, tum Funiculi explicant Rabbini in cap. xl. Ezechielis. Vbi R. David Kimchi utrumque instrumentum ad metiendum adhiberi solitum tradit, mox subdens, *Funiculo homo mensurat mensuram magnam in area, aut in profundo: Calamo autem mensuram parvam, qualis est mensura ædificij.* R. Salomô scribit *Calamo* mensurari grossitiem muri, & longitudinem ac latitudinem portarum. Sed de Funiculi usu superius differvimus, & Regulæ adjunximus, vel cum illo convenire ostendimus: superest ergo Calamus.

## ARTICULUS II.

## MODUS ET MEDIOCRITAS

*Quomodo, tanquam Calamus, Architecto Sacro sit usui.*

**N**VNQVAM faciet Architectus Christianus, virtutum parietem rectum, nisi secundum Mediocritatis Calamum, & Modi mensuram illum erigat, ac dimetiatur. Non habet veram Virtutem, quisquis plus aut minus facit, quàm vera virtus postulat: at utrumque Modus corrigit, & Mediocritas: quam virtuti tam conjunctam adnatamque censet Philosophus, ut Virtutem definiat esse Mediocritatem: & commune est illud Theologorum æquè ac Philosophorum pronunciatum:

Oo

Vir-

(a) *Arist. I. Ethic. c. 6.*